

mina, siquidem vitium primæ digestionis non facile corrigitur in secunda, multò minùs in tertia. Ideòque opere pretium duxi, hæc ventriculi aberrationes altiori mentis trutinâ expendere, easdemque pro materia hujus dissertationis inauguralis eligere, atque conferre in publicum. Faxit Deus Ter Optimus Maximusque, ut hi, cæterique conatus mei sub ejusdem gratiosa directione ad optatum deducantur scopum!

THES. I.

Ne autem in *Onomatologia*, in se satis claræ, evolutione justò sim prolixior, hoc unum saltem præmonebo, frustratam hanc actionem ab autoribus nominibus variis, scilicet *fermentationis*, *coëctionis*, *digestionis* &c. alimentorum læsæ, indigitari: quæ cuncta tamen cum minùs adæquata sint, Chylificationis læsæ vocabulum retinebo, sub generaliori hoc conceptu non abolitam modò & imminutam, sed depravatam insimul *χύλωσιν* expositurus.

THES. II.

Erit igitur Chylificatio læsa nihil aliud, quàm actio ventriculi in alimentorum resolutione, & in chylum laudabilem conversione frustrata, à ventriculi & humoris menstrualis constitutione p. n., aut ipsorum alimentorum vitio dependens.

THES. III.

Et, ne historiæ hujus affectûs aliquid deesse videatur, consideranda ante omnia sedes morbi, sive subjectum, ut vocant, inhæsionis, quod *ventriculus* constituit, non exclusis tamen insimul intestinis, imprimis tenui-

nui-